



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Q. 3. Quibus in casibus locum habeat acceptio personarum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

35 R. Personarum acceptio locum habet. *Primò*, in distributione bonorum spiritualium, seu in Beneficiorum Ecclesiasticorum collatione, electione, & præsentatione ad illa; hæc enim Beneficia jure naturali, ac positivo debent conferri dignioribus, hoc est qui optimè putantur officio functuri: Unde si amicitia, consanguinitas, aut aliud quidpiam simile nihil ad officium pertinens in electione, præsentatione, aut collatione spectetur, ommissis dignioribus, comittitur vitium acceptionis personarum, ut cum aliis notat S. Th. l. c. 4. 2. *Secundò*, locum habet in conferendis officiis sæcularibus, ut cum aliis notat Cajetan. v. *personarum acceptio*, & colligitur ex dictis; nam ejusmodi officia non sunt bona propria Principis, sicut tributa, sed communia Reipubl. in hujus commodum instituta, quæ illa committit Principi administranda, & conferenda communis utilitatis causa, ut dictum est supra.

Tertiò, locum habet in judiciis, quatenus debita in iis forma, ac proportio non servatur, dum Judex partibus jus dicit, ut docet cum aliis S. Th. l. c. & patet ex illo Levit. 19. *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis, justè judica proximo tuo.* & Prov. 18. *accipere personam in judicio, non est bonum.* Et ratio est, quia, etsi jus dicere sit actus justitiæ commutati-

væ, quatenus ex officio est debitum; attamen quatenus fit inter duos, habet modum, seu formam quamdam justitiæ distributiæ; jus enim, si consideretur ut in *potentia*, est suo modo bonum commune indifferenter per Judicem huic vel illi digno applicandum, vel ut loquitur Cajetan. distribuendum partibus, sive id oriatur ex commutatione, sive ex distributione: Unde si Judex in dicendo, & distribuendo hoc jure aliquid respiciat præter causarum merita, comittit hoc vitium acceptionis personarum, idque ut notat Less. non solum quando Judex in ferenda sententiâ considerat personam potius quam æquitatem causæ, sed etiam quando causas pauperum differt, & extrahit in longum; causas verò divitum citò expedit & terminat, vel etiam quando pro sua libidine, & gratificandi studio uni concedit longiorem terminum ad probandum, vel informandum, quam alteri, cum tamen par sit utriusque ratio.

Quartò, locum habet in exhibendo honore aliis debito, ut notat cum aliis S. Th. l. c. 4. 3. ut si in publico confesso, capitulo, mensa, &c. non assignetur alicui locus, qui ei ratione scientiæ; eruditionis, vel gradûs debetur, siquidem id fiat dolo, vel lata culpa, alioquin non censetur injuria.

CASUS